

Taco Glins van Marcus Daniel Schlet

## **Disputatio Iuridica Inauguralis De Eo Quod Interest**

Lubecae: Schmalhertz, 1672


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747410364>


Druck Freier  Zugang





V. K- 2 (46.)





~~XIII.~~  
17.  
25/

DISPUTATIO  
JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
EO QVOD INTEREST,

QUAM

*Præside Deo ter Opt. Max.*

Ex autoritate Magnifici D. Rectoris

*Viri Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi*

DN. TACONIS à GLINS,  
J.U.D. Et Franekeranæ Academiæ Pro-  
fessoris Publici Celeberrimi,

UT ET

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & consultissima  
Juridica facultatis decreto,*

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores, privilegia & immunita-  
tes ritè consequendi, in Illust. Frisiæ ordin. Academiâ  
quæ Franekeræ est.

*Eruditorum examini subjecit,*

MARCUS DANIEL SCHLET, Lub.

*Ad diem Junii, Loco horisq; solitis*

Jam verò cum illam propter atrociores instantium hostium  
rumores tumultuantemq; plebem secum asportare auctori in-  
tegrum non fuerit, denuò typis excussa.

\*\*\*\*\*

LUBECÆ,

In officinâ Hæredum Schmalhertzianorum Typographicâ,  
ANNO M. DC. LXXII.



INCLUTÆ  
REIPUBLICÆ LUBECENSIS  
IMPERIALIS LIBERÆ  
**CONSULIBUS**  
PRUDENTISSIMIS, MERITISSIMIS,  
GRAVISSIMIS,  
VIRIS

MAGNIFICIS, MAXUME STRENUIS,  
ET PRÆNOBILISSIMIS

DN. JOHANNI RITTERO,  
JC. ET COMITI CÆSAREO PA-  
LATINO.

DN. HENRICO KIRCHRINGIO,  
PATRICIO PRIMARIO.

NEC NON  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-  
TISSIMO ET PRUDENTISSIMO

DN. NICOLAO SCHOMERO,  
J U. D. ET SENATORI GRA-  
VISSIMO,

DOMINIS MECOENATIBUS, AC PATRONIS  
MEIS, DEVOTISSIMO HONORIS  
CULTU PROSE QUENDIS.



MAGNIFICI, MAXUME STRE-  
NUI, NOBILISSIMI ET  
PRUDENTISSIMI  
VIRI.



Benevolentia & humani-  
tas vestra, quas omnes in  
VOBIS mirantur & de-  
prædicant, meum extinguunt ru-  
borem, quo alias justissimè perfun-  
derer, MAGNIFICIS ET NO-  
BILISSIMIS VESTRIS NOMI-  
NIBUS Disputationem hanc me-  
am dedicando: Fateor. Vile est  
quod offero, verum non hoc, sed  
ex quo id substantiam capit, ani-  
mum devotum, quæso, benevo-  
lentissimè intueamini. DII ESTIS.

A 2

Quia



Quia Magistratus. Hinc VOS in  
hoc naturam supremi illius numi-  
nis imitaturos auguror. Non re-  
spicit illud quo thure, quibus ho-  
stis, sed quâ mente colatur. Hu-  
jus ego thronum sanctissimum sin-  
ceriore animo supplex accedo, vo-  
ta ardentia fundens, uti MAGNI-  
FICIENTIAS ET NOBILITA-  
TES VESTRAS incolumitate  
perenni, longævitate incolumi,  
pace, omnique beatitudine, de-  
coret, sospitet, beet, afficiat u-  
bertim.

MAGNIFICENTIARUM ET NOBILI-  
TATUM VESTRARUM

*Devotissimus*

MARCUS DANIEL SCHLET.



I. N. D.

I. N. D. N. I. C.  
DISPUTATIONIS  
JURIDICÆ INAUGURALIS.  
DE  
EO QUOD INTEREST.  
PROOEMIUM.



Uanquam primordio rerum vita hominum sine cupiditate agitabatur, ita ut divitiarum gloria fluxa atque fragilis haberetur, cum sua cuique satis placebant. Postea tamen quam auctum genus humanum, tum demum indigentia atque negotiis compertum est, in vita plurimum divitias posse. Omnes igitur homines, qui sese student a temporum injuriis præstare immunes, summam ope id agunt, ne vitam ejusmodi bono carentem ducant. Quod si hic animus in istam fortunam rectæ rationis freno coercetur, innoxius est atque naturalis, resque humanæ satis sese constanter habent, neque hac cupidine quicquam mutari aut misceri cernes; imo sobria & moderata per legitimos tramites acquisitio omni jure commendatur potius quam improbatur; cujus exempla videre licet in jure Divino. *Luc. 19. v. 12.* & Paulus 2. *Cor. 12. v. 14.* itemque jure Civili *l. 15. pr. de in offic. test. l. 50. §. 2. ff. de bonis libert.* Cæterum cum magno labore parta magnam industriam haberi deceat, ne injuriam alterius deformatur, aut corrumpant infirmata. Quod & Claud. *l. 2. in stilicon. Laud. monet,*

*plus*

— — plus est servasse repertum,  
quam quasisse decus  
& Ovid. l. 2, de art. amand.

*Non minor est virtus, quam querere parta tueri:  
Casus inest illic: hic erit artis opus.*

Nemo non bonus Paterfamilias quantocunque providet studio, ne id quod in bonis jam est, alterius ipsi auferatur injuriâ. Verum enim vero cum diligentissimus quisque nonnunquam ab alterius dolo non satis sit tutus, & conditio atque natura negotii ita comparata sit, ut neque magnâ interdum diligentia id quod in nostro Patrimonio est conservari queat: idcirco nullum aliud læso remedium superest, quo, ut bonum Patremfamilias decet, virtutem in tuendis rebus suis exercere possit, quam ut petat id, quod alterius ipsi injuriâ abest: quod vulgò vocari consuevit **ID QUOD INTEREST**. De quâ materiâ intricatissimâ, occasione legis unicæ, *C. de sent: qua pro eo quod inter. prof.* quam Bartolus hic materiam profundissimam & longissimam habere, & *Gloss. ad h. l.* eam de difficillioribus totius codicis esse affirmat: theses quasdam mihi Academicæ vitæ jam valedicturo, navatæque in ea operæ publicum testimonium petitorio conscribere placuit. Si autem in quibusdam erravero, quod in materiâ difficillimâ, ab ingenio haud satis exercitato, viribus ex gravissimo morbo parum validis, evitari vix poterit; in meliorem partem interpreteris *B. L.* insuperque cogites Senecæ illud dictum. *Nemo est mortalium, quem non aliqua pars ignorantia attingat, hanc contagionem ex ipsâ mortalitate traximus; nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, est ipsi mortalitati convitium facere.*

Quo

Quocirca jam fretus Candidissimi *Lectoris* benevolentiam, rem ipsam aggredior. Cum autem in rei principio, ut solum & summum numen invocemus, non solum Jus Divinum, ad *Coll. 3. v. 17.* sed etiam Canonicum *c. 1. quest. 1.* & Jus Civile *Nov. 6. in praf.* exigat; huncque morem imitatus sit imperator in *l. 2. C. de offic. praf. Prat. Afric. Nov. 80. 85. & 119.* merito & nostrum inde sit initium. Deum itaque ter optimum terque maximum supplex veneror, opem conatui addat, omnesque actiones nostras ad nominis sui divini gloriam dirigat atque regat.

## THESIS. I.

Quandoquidem frustra de re suscipitur disceptatio si res ipsa nulla, aut non licita sit, quæ & lege pro nulla habetur *l. 15. ff. d. Condit. Inst.* & ad commendandas & ad præmuniendas theses nostras pertinebit, hæc in antecessum breviter considerare. Dari autem id quod interest, ejusque rationem esse habendam, & divina & humana probant jura, uti apertè hoc videre est, *Exod. 22. l. 19. §. 4. ff. d. Neg. gest. l. 60. pr. ff. pro socio. l. 13. pr. ff. rem rat. hab.* idem affirmat Cravetta *Cons. 189. n. 8.* Didacus. *l. 3. variar. resolut. c. 4. n. 1.* Accursius in *l. 1. C. de summa Trinit.* itidemque Theologi. Conradus *de Contractibus quest. 30.* Dom. Soto. *l. 6. de just. & jur. quest. 1. art. 3.* Tum etiam rem præsentem vel leviter consideranti æquitas ejus facile patecet. Si namque creditori interim dum res penes debitorem est, aliqua se exhibeat opportunitas augendi rem suam familiarem, & debitor interpellatus in restituendo faciat moram, atque hinc creditori speratum intervertatur commodum, dubium non est, posse

posse cæteris paribus à debitore tantum exigi, quantum  
lucro cessanti respondere ex æquo & bono visum fuerit.  
Tunc enim carentia pecuniæ non amplius sola est, &  
nuda, sed conjuncta cum eo quod interest creditoris.  
Sic etiam quando in manifesto damno constitutus est  
creditor, ita ut fortè pecuniâ mutuo datâ opus habeat ad  
reficiendas ædes ruinosas, & quod illius restitutionem  
opportuno tempore consequi non potuerit, ædes col-  
lapsæ sint; nunquam quis dixerit repugnare rationi na-  
turali, ut quid à debitore ultra id quod mutuo accepit  
exigatur. Ut enim ego in damno verfer, & tu ex re mea,  
per quam damnum avertere potuissèm, lucrum sentias,  
nulla ratio jubet, quin potius, ut qui alteri efficacem  
damni dat causam, eidem compensationem debeat, na-  
turalis dicitur æquitas. Nemo enim suum jactare præ-  
sumitur *l. 25. ff. d. prob. & nemini officium suum debet esse*  
*damnosum l. 7. ff. quemadm. test. aper. c. 30. in pr. de Elect. in*  
*6. idque ideo ut plures invitentur, qui hominum deser-*  
*torum inopiæ suâ copiâ succurrant, l. 5. in vers. quæ sane*  
*ff. d. O. & A. §. 1. instit. de oblig. quæ ex quas. contr. nasc. cum*  
*nemo alteri suo cum detrimento benignè facere cogat-*  
*tur l. 1. §. 11. ff. de aq. & aq. plur. neque vero officio con-*  
*trarium est, sic alium juvare, ut te serves indemnem. l. 7.*  
*ff. quemadm. test. aper. l. 25. C. d. administr. tut. Ne ipse qui-*  
*dem Apostolus vult 2. Cor. 8. v. 13. sic nos aliis commo-*  
*dare, ut nobis sit afflictio. Quo pacto enim consisterent*  
*commercia inter homines? quis volet frustra traditio-*  
*ne rei suæ eam esse penes alium dominum? unde non*  
*iniquum neque rationi contrarium videtur, si, cum rem*  
*valentem 20. vendo, ut annua, bima, trima die solvat,*  
*propter particularem istam solutionem vendam pro 25.*  
ubi

ubi quidē s. sunt ultra pretium justum, propter dilationē  
tamen venditio ista valet, cum temporis dilatio non ste-  
rilis esse debeat. *Arg. l. 24. §. 2. ff. solut. mat. Grot. d. J. B. §*  
*p. l. 2. c. 12. n. 14.* & sunt s. isti loco interesse, cum ini-  
quum esset, me tot annis carere fructibus rei, quos em-  
ptor caperet, nihilq; mihi pro interesse solveret. *l. 5. C. d.*  
*act. empt. vend.* Cū & tardius qui solvit, quā solvere debet,  
minus solvere intelligatur. *l. 12. ff. d. V. S. §. 33. Inst. d. Act. &*  
*hoc est quod Jctus in l. 85. ff. d. solut. §. liber.* dicit, solidū  
non solvi non minus quantitate quam die. Et sic ex  
iis quæ dicta sunt videmus, in hocce negotio justitiam  
expletricem maximas sibi vindicare partes, quæ quo-  
ties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantun-  
dem, quod est morali æstimatione idem. Quæ autem  
in contrarium afferuntur, non sunt tanti, ut ad sensum  
extorqueant. Velut istud Ambrosii in libro *de offic. 3. c.*  
*2. subvenire non habenti humanitatis est, duritia autem*  
*plus extorquere quam dederis.* Nec magis urget quod  
suapte natura sterilis est pecunia; Nam & domos & res  
alias natura infœcundas hominum industria fructuo-  
sas fecit. *Grot. d. l.* Breviter igitur jam hisce considera-  
tis, in sequentibus paulo uberius rei natura, seu quid res  
sit perpendendum erit.

II. Quod ut eo feliciter fiat, ante omnia cura ver-  
borum habenda erit. *l. 1. ff. d. 1. §. 1.* Cum nemo res in-  
telligat, nisi prius verba cognoverit. Componitur au-  
tem Interesse ex in & re & est, ut sit quasi in re est; unde  
mea interest: In re mea est, h. est in mea utilitate est.  
Sic Comœdia ait: Utrum veniat nec ne, nihil in re est  
mea. Invenies etiam illud non nunquam *divisis di-*

B

ctio-

tionibus usurpatum; ita Modestinus in l. 6. ff. d. publican.  
Inter criminis ait reos & fraudis participes multum esse  
constituerunt, i. e. multum interessse. Ponitur itidem  
quandoque sine casu, & significat idem quod differen-  
tia ut à Cic: l. 1. offic. Inter hominem & belluam hoc  
maxime interest, & à Terent: in Eunucho. Homo ho-  
mini quid præstat, stulto intelligens quid interest. Si-  
gnificat interdum præsentem esse, sic interessse negotiis  
dicitur, qui præsens est. Interdum significat idem  
quod in medio jacere: sic Liv: l. 2. de bell: pun: id mo-  
rari victoriam rati, quod interessset amnis. Dicimus  
etiam quorum interest, i. e. ad quorum officium spe-  
ctat. l. 3. C. de Confirm: tut: Atque inde est quod Jctis,  
cum discrimen, quod inter eam conditionem, quæ in  
re familiari, alicujus vel antea fuit, vel omnino futura e-  
rat, & eam quæ nunc alterius culpa est, significant, illud  
nomine interessse veniat. l. 21. §. ult. ff. ad L. Aquil.

III. Hujus ut insolentis vocabuli veniam petit  
Alciatus tr: de eo quod Interest. Quia non putavit la-  
tinè dici posse: verum Ant: Fumæus c. i. de eo quod in-  
terest illud à Jctis usurpatum ostendit, idemque ver-  
bum reperiri notat in l. 35. in fin. d. contrab. empt: quod  
falsum asserit Gothfr: ad l. 82. lit. P. ff. d. Leg. 2. qui ibi-  
dem pro verbo *Interusurium* in vulgata editione legi  
*Interesse* substantivè intelligendum probat. Ostendit  
etiam Corasius l. 1. Miscell. c. 20. Interesse in substantivo  
latinè dici posse.

IV. Id quod Interest quandoque latè sumitur,  
ut significet præter id quod nostra specialiter interest,  
ipsius rei seu facti pretium æstimationemve una cum fru-

fructibus ac usuris : & generaliter omne id quod ad nostram pertinet utilitatem. Quandoque strictè & proprie emergentis damni & lucri cessantis compensationem significat, quæ à vero rei pretio est diversa & ex utilitate singulorum vel intenditur vel remittitur. Quo sensu ex ipsius rei substantiâ essentialiter non pendet, sed extrinsecè accidentaliter venit. Utraque significatio hic locum invenit ; Prior tum imprimis quando casus sunt incerti *l. so. pr. ff. d. furt. l. 8. ff. d. e. vict.* & cum rei principalis nulla alia æstimatio reperiri potest, quam hæc, quæ in eo quod interest consistit, & tunc id quod interest & rei pretium plane idem sunt *l. 15. §. 3. ff. d. R. V.* Posterior cum res principalis seorsim, & id quod interest seorsim æstimari potest. *l. so. pr. ff. d. furt.* Mejerus in *Coll. Arg. ad tit. de re judic. §. 13.*

V. Ex eo autem quod dicitur in *l. 24. ff. d. R. J.* Quatenus cujusque interfit, in facto, non in jure consistere, colligunt non nulli, id quod interest nulla juris definitione comprehendi posse, cum ex eodem facto pro ratione personarum, locorum, temporum aliàs pluris aliàs minoris interesse, interdum ne interesse quidem possit. Hugo Donellus *tr. de eo quod interest c. 2. in fin.* Quod equidem de iudice pro tribunali sedente concedi posse videtur, huic etenim, cum de facto singulari sententia ferenda, non statim obvium est, quidnam id aut quale sit quod in iudicium deductum est. Illud autem non impedit quo minus Jctus facti alicujus naturam in abstracto sepositis ejusmodi circumstantiis definitione quadam exprimere aut describere possit,



VI. Sic Gloss: *in l. un. C. d. sentent: qua pro eo quod inter prof:* Interesse describit, quod sit damnum emergens & lucrum cessans. Verum minus accuratè, quia nec damnum emergens nec lucrum cessans sunt id quod interest, cum potius sint fundamentum & materia ex quâ nascitur: & Jacob: de Rav: insurgere contra istam definitionem inquit Bartol: *ad h. l.* hoc modo. Tu dicis, quod Interesse sit damnum, ergo qui petit Interesse, petit damnum: Ego dabo damnum quantum voles. Ad salvandam autem Gl: eam loqui Bart: *d. l.* dicit, secundum communem loquendi usum, ut damnum intelligat de æstimatione damni. Sed nec sic quidem definitio vitio carere videtur; Quia id quod Interest per æstimationem taxatur, ideoque aliud sit necesse est, id quod taxatur vel æstimatur, ab ipsa æstimatione. Cum æstimatio non sit de essentiâ ejus quod interest, sed tantum qualitas, quâ ejus quod interest quantitas demonstratur. Rectius itaque id quod Interest definire mihi videtur Magnificus Dominus Strauchius, Præceptor meus cum in illustri viverem Salanâ exoptatissimus; *In Exercit: 18. th. 17. ad jus justin:* Quod sit quantitas in compensationem utilitatis, injuriâ alterius per damnum datum vel lucrum interceptum, nobis ereptæ, officio Judicis æstimanda.

VII. Varias hujus rei apud diversos autores observare licet divisiones, ex quibus quæ magis frequentes sunt hic tantum exponere operæ pretium erit. Prima itaq; sit eorum, qui dividunt id quod interest in publicum

cum, & privatum. Publicè interesse dicunt, quod in commune expedit, & ad totius Reip. utilitatem pertinet: quod fit vel primò, principaliter, & immediate, vel per consequentiam. Quanquam omnia jura ad publicam utilitatem lata, tamen quædam in executione primò ad utilitatem publicam redundant, ex quibus deinde per consequentiam utilitas ad singulos pervenit; quædam vero ex quibus utilitas primò ad singulos, deinde ad Rempubl. dimanat. Sic rerum judicatarum auctoritatem servari, partus non subjici, dotes mulieribus salvas esse, & id genus alià publicè utilia sunt: sic expedit Reip. id est publicè interest, ne quis re sua malè utatur. *§. 2. j. de his qui sui vel eor.* cum facile privati bonis suis abutendo noceant publico. Nec est quod hic immergi objiciant cives, se dominos esse rerum suarum, Domini vero effectum in libera alienandi & disponendi de rebus tuis ut velis facultate consistere *l. 21. C. Mandat.* Ideoq; interesse publici causa id à magistratu minus rectè prohiberi: Cum hæc alienandi & disponendi de rebus facultas semper secundum legis præscriptum fieri debeat; unde ut acquirendæ & conservandæ, ita & alienandæ rei petenda facultas est. Videtur etiam interesse publicum non inconcinne describi posse, quod sit utilitas publica injuriâ alterius Reip. per damnum datum aut lucrum interceptum, nostræ Reip. erepta, ab eo penes quem τὸ κέρδιον est in Reipubl; æstimanda. Quæ æstimatio aut damni reparatio ut bello fiat, non nunquam necessitas efflagitat: Belli verò eventus cum sit dubius, facile fieri potest, ut maximum ex hoc damnum sentiant cives, quod tamen æquo animo ferendum. Nam  
hic

hic propria voluntate damnum sentire videtur, ex eo quod societati huius vel illius populi sponte sit adscriptus, & summa in ea potestate se subjecerit; unde vel expresse promisit, vel ex rei natura tacite promisisse intelligitur, omnia se approbaturum secuturumque, quae e re societatis publicae erunt. Tum etiam hic propter interesse publicum sicut & publicum commodum sentit, fructum scilicet salutis publicae, ita & publicum incommodum ferre haud detrectabit; quo fit, ut inutile cuiquam dici nequeat, quod omnibus ac toti reip. utile est. De qua publica utilitate agere, nostri jam non est propositi, cum ea potius hominum sit natura, ut, quae privatim potissimum profunt, magis curent & appetant, ideoque potius de eo interesse in sequentibus agemus.

IIX. Altera divisio est, qua interesse dispescitur in id, quod vel circa rem, ab aliis *intrinsicum*, vel extra rem consistit, *extrinsicum* vocatur. Illud est quod ex re ipsa seu corpore ipso descendit, ita ut vel *insit* vel *cohaereat*; & continet ea lucra & damna quae in ipsa re consistunt; & quae occasione rei necessario ei cohaerent, ita ut absque isto consistere nequeant. Hoc autem dicitur quod a re ipsa remotum, & Occasione rei accidentaliter non necessario evenit, cuius exemplum est in l. 21. §. 3. ff. ad act. empt. Alciat. tr. de eo quod interest.

IX. Tertiò dividitur id quod interest a Bart. ad d. l. un. in conventum, commune, & singulare; quem etiam sequitur Schneidevv. ad inst. lib. 3. tit. 16. omnesque fere practici; hancque triplicem divisionem magnum in praxi usum habere, & non temere in respondendo & iudicando ab opinionibus frequentiore Dd. calculo receptis,

ptis, recedendum, docet Jul à Beyma *tr. de eo quod inter-*  
*est.* vocesq; hasce à neotericis interpretibus factas esse,  
ut facilius quod mente conceperant, declararent, neq;  
singulariter, vel communiter, vel ex conventione inter-  
esse apud antiquos legi tradit Alciat; *tr. de eo quod inter-*  
*est.* Est autem conventum interesse, de cujus quantita-  
te, quantacunq; futura est, inter partes convenit, dici-  
turq; alias pœna, & est id quod debitor constituto die  
non solvens, ex conventione in pœnam moræ suæ cre-  
ditori præstare tenetur. De qua pœna infra tractandi  
ocasio erit. Interesse commune definitur *in l. 33. ff. ad*  
*L. Aquil.* quanti res communiter omnibus valet, & ab  
omnibus communiter æstimatur: & sic est lucrum vel  
damnum quod ab omnibus peræq; & eodem modo æsti-  
matur; sic etiam communiter fungi pretia dicuntur,  
quæ ex affectione & utilitate totius populi, non singulo-  
rum petuntur. *l. 62. § 63. ff. ad L. Falcid.* Singulare inter-  
esse contrarium est communi, quia in hoc attenditur  
communis valor in illo vero unius tantum ex affectione  
æstimantis; & est nihil aliud, quam æstimatio rei, quanti  
quis rem facit, ex sua quam erga rem habet affectione,  
non attento communi rei valore. Singulare autem  
dicitur, quia plus valet uni, quam aliis omnibus, propter  
unam qualitatem inhærentem huic rei, quâ non est  
transmissibilis ad alios. Exemplum ex Bart: *ad d. l. un.*  
refert Schneidevv. *d. l. in scholari* qui habet codicem  
valentem communi æstimatione florenum, sed quia  
longo tempore in illo legit, & notas manu propria scri-  
bendo adjecit, estq; in eo localis, non venderet eum 12.  
flore nis, & sic interesse singulare est quod scholari tan-  
tum

tum propter illam qualitatem competit quæ non est transmissibilis ad alium.

X. Hoc interesse singulare idem Schneidevv. *d.l.* fecutus Bartolum *d.l.* dividit in affectionis tantum, in qua sola & nuda affectio sine aliqua utilitate præter valorem rei attenditur: & ex eo condemnationem augeri negat Bart; *d.l.* actionem vero in b. f. non vero in st. juris judiciis dari vult. *idem ibid.* Et affectionis cum utilitate, in quo præter affectionem & communem valorem rei etiam utilitas attenditur. Exemplum utriusq; vid. apud Schneidvv. *d.l.* & ex hoc actionem dari, condemnationemq; augeri tradit Bart. *d.l.*

XI. Aliam speciem ejus quod interest propius ad naturam usuræ accedentem faciunt Dd Cum ipso jure & LL. definitum, quanta sit summa non integra, nec quantacunq; ad extremum esse potest, sed quanta sit per singulos menses, ita ut vel plus vel minus intersit, sola tamen summa LL. præscripta præstetur. Et hæc quoniam ex usu dependet, usura appellatur: quod exinde patet, quod quibusdam in casibus id quod interest, vel tanquam usura, vel tanquam interesse peti liceat; quod si tanquam usura petitur, nihil ulterius exigi potest, quam quantum LL. præscriptum, ut ut pluris interest. *l. i. §. i. ff. d. usur.* Si vero tanquam Interesse, huic termino non statur, sed quantum quis probat, tantum exigit. *l. 60. pr. ff. pro socio.*

XII. Verum enim vero rem paulò accuratius perpendenti unicum esse tantummodo Interesse liquet. Nam quicumque petit id quod interest, is quod sua privatim, quod sibi abest, non quod alii, petit: quia

quia non nisi specialiter interest, tum etiam id quod Interest utilitas est, hujusmodi autem utilitas in re mea non in re communi est: nec obstat *lex 33. ff. ad L. Aquil.* ex qua dissentientes interesse communis definitionem colligunt; Cum ibi tantum de æstimatione rei, quæ communiter fieri debere dicitur, non vero de re ipsa æstimanda agatur; diversa autem sunt æstimatione rei, & res quæ æstimatur, & pretium rei quidem commune est, res vero in privato patrimonio non communis, sed privata est. Ita nec recte dicitur interesse conventum; Cum accidentalis conventio non protinus constituat certam ejus quod interest speciem. Dn. Strauch. *d. l.* quod etiam ex eo clarum fit, quod conventio ejusmodi dicatur pœna, hæc autem certa sit. *§. ult. Inst. d. V. O. l. ult. ff. d. Prat. stipul.* Interesse vero incertum: Sæpius etiam pœna promittitur ubi nihil interest; Tum etiam pœna exigitur, non quod nostra inter sit, sed quia promissa est. *l. 38. §. 17. ff. d. V. O.* Ejus vero quod interest singulariter fundamentum quærunt ex *l. 54. ff. mandat.* Ubi Jctus papinianus affectus rationem habendam dicit. *Et l. 35. ff. de minor.* Ubi minor in integrum restituitur, si ejus interesse, emptam ab eo rem fuisse, probetur: Veluti quod majorum ejus fuisset. Verum Resp: affectionem non considerari in æstimatione, sed in actione, h. est, ut quis agere possit, Judex me ad agendum admittet ob affectum meum; non tamen sequetur in judicando æstimationem quam ex affectu meo facio, seu leges obstant; nil nisi actionem concedunt affectioni, propterea quod interest *l. 8. §. 6. ff. mand.* Non tamen ad id quod Interest, sive actionem concedunt

C

con-

condemnationem vero non augent. Dn. Strauch:  
*d. l.* His itaque rejectis ultrò fluit, unicum tantum ge-  
nuse esse ejus quod Interest; Tam rei ipsius respectu,  
quam æstimationis ejus. Prius exinde patet, quod pe-  
tens id quod Interest, nihil aliud petat quam quod sua  
interest, s. quod sibi abest, non quod commune est,  
quia hoc revera ipsi non abest. Posterius ex eo collig-  
gitur, quia id quod interest ubique quanti revera est  
æstimatur, s. quanti communi hominum æstimatione,  
non privati alicujus judicio aut affectu valet: Tum  
quia æstimatio seu rei pretium non est Interesse, specia-  
liter sumptum, sed ab eo recte distinguitur. E: non  
triplex, sed unica est, quæ variatur secundum majus &  
minus, quæ non faciunt diversas species. Camill:  
Plaut: *tr. de eo quod Interest. n. 27.* Hugo Donell:  
*Comm. l. 26, eo cap. quod inscripsit. Id quod Interest u-  
nius generis est, non ut vulgo traditum est, triplex. 15.* Dn.  
Strauch, *d. l.*

XIII. Circa id quod interest primò consideran-  
da venit causa ejus efficiens; Præcipua autem est mo-  
ra; ideoque materiam istam, utpote à cujus cognitio-  
ne perfectior ejus quod Interest notitia dependet, hic  
paululum uberius tractare operæ pretium duxi. Exi-  
gitur itaque id quod Interest propter moram in omni-  
bus tam b. f. quam ft. J. judiciis: In his præprimis se-  
cundum Praxin, ut testatur Dn. Strauch: *ad Univers. jus  
disp. 18. th. 14.* Matth: Berlich: *part. 2. Concl. 38. n. 2.* Re-  
ctissimè enim jura præbent damno affectis auxilia, ne  
frustratio sua cuiquam profit *l. 37. in fin. ff. mandat.* ne  
cui dolus suus contra naturalem æquitatem commodo  
fit. *l. 1. §. 1. ff. d. dol: mal: & met: except.* Ne quis ex suo deli-

delicto meliorem suam faciat conditionem. *l. 134. §. 1. ff. d. R. J.* Ut unicuique sua mora noceat. *l. 173. §. 2. ff. d. R. J.* Nam mora culpæ annumeratur *l. 91. §. 3. ff. d. V. O.* nemini autem culpa sua debet esse proficua. Si vero iusta dilationis causa est, tunc sciendum, ut Ulpianus *in l. 21. ff. de usur.* loquitur. Non omne, quod differendi causa optimâ ratione fiat, moræ adnumerandum. Et si debitor sub certo die, vel sub certa conditione obligatus est, non nisi post diem destinatum, conditionemve existentem moram commississe dicendus est. Non enim videtur in morâ esse, quia nihil adhuc debet, & nemo ad solutionem debiti non puri adstringi solet. *Arg: §. 2. I. d. V. O. §. fin. Int. d. Inutil. stip: l. 138. ff. d. V. O.* Dum cessit quidem dies sed nondum venit, *l. 213. ff. d. V. S.* Ubi igitur nulla mora ibi nullum quoque interesse, cum id extra moram commissam regulariter peti nequeat. *Bart: ad d. l. unic:* Si igitur hoc casu creditor interesse petat, exceptione plus petitionis repellendus est. *Arg: §. 33. Inst. d. act: §. 10. Inst: d. except.* Quomodo autem id quod Interest non nunquam præstetur non interveniente morâ docet *Camill: Plaut: tr: de eo quod Interest. Gail: l. 2. obs. 17. n. 6.*

XIV. Est autem mora solutionis recipiendæ vel præstandæ debito loco & tempore frustratoria dilatio, alteri damnosa. Varias apud *Dd.* reperiuntur moræ definitiones, ut videre est apud *Romuleum in Compend: moræ n. 2. usque 8.* & *Arum: in tr: de morâ c. 2. n. 21.* *Dn: Strauch: d. l. disp. 18. th. 23.* Vocis hujus genuina significatio denotat injustam aliquam tarditatem & cessationem; unde *in l. 51. ff. de pecul.* quamvis cunctationem indicat, quæ non impunita esse debet. *l. 37. in fin. ff. mand.*



*l. 21. ff. d. Usur. & committitur mora tam à parte creditoris in recipiendo, quam à parte debitoris in præstando; & sic uterque moram facere potest. l. 88. l. 91. pr. § 1. § 3. d. V. O. l. 32. princ. § 1. ff. d. usur. l. 37. ff. mand.*

XV. Mora vero est vel regularis seu ordinaria, & hæc fit ex persona. *l. 23. princ. ff. d. usur.* vel irregularis seu extraordinaria, & hæc fit ex re. *l. 23. §. 1. ff. de usur.* Atque hanc moræ divisionem agnoscit etiam Anton. Faber. *6. conject. 7. Dn. Strauch: Disp. 18. th. 23. 24. Romul: in Comp. de mora n. 9. Molinaus in tr. de usur. q. 40.*

XVI. Ex persona fit per Interpellationem *l. 23. de V. O. l. 32. ff. d. usur.* Si debitor opportuno loco & tempore à Creditore interpellatus non solverit. Utilitas enim loci & temporis debitori auferri non debet, *l. 1. ff. de eo quod cert. loc.* Est vero locus opportunus quando nulla loci circumstantia impedit quo minus debitor ad solutionem cogi possit, & tempus opportunum est, quando nulla temporis circumstantia impedit, quo minus debitum peti possit; Velut si obligatio sit pura, vel si conditionata, vel in diem concepta quidem conditio tamen vel dies exstiterit. Nam interpellatio non iusto loco & tempore facta nihil operatur. *l. 31. ff. d. Usur. l. 39. ff. d. solut.*

XVII. Interpellatio autem fit, quando admonetur solvere debitor, vel accipere creditor id quod debetur, qui ergo hanc admonitionem contemnit, & debitum solvere vel accipere differt, moram commisisse dicitur.

XVIII. Estque vel judicialis *l. 1. § 2. C. de usur & fruct. leg. l. 22 ff. d. reb. cred.* vel extrajudicialis. *l. 6. § 9. ff. d. usur.*

*d. usur. l. 23. ff. d. O. § A. Illa fit litis contestatione. l. 22. C. d. R. V. l. 22. ff. d. reb. cred. Hæc expressè vel tacite. Expressè quando creditor vel alius ejus nomine, ut procurator, negotiorum gestor, debitorem interpellat; quæ itidem ut judicialis debitorem in mora constituit l. 32. ff. de usur. l. 82. §. 1. ff. d. V. O. An vero unica interpellatio extrajudicialis an plures ad debitorem in mora constituendum requirantur? quærunt Dd. Et unicam sufficere puto; plures autem fieri posse non nego. per l. 87. §. 1. ff. de Leg. 2. Brunni: ad ff. ad l. 32. de usur: Quia unicam creditoris admonitionem contemnens moram committit, ubi autem semel mora facta ibi perpetuo durat l. 13. §. 1. ff. de nov. op. nunt. Magnif. Dn; Struvius Doctor olim Salanus desideratissimus Synt. jur. Civ. Ex. 27. th. 67. Tacite fit interpellatio extrajudicialis, quando obligatio in diem contracta, quæ vel à lege vel contrahentibus adjecta est. Dies enim pro homine interpellat l. 9. ff. d. usur. l. 12. C. de contr. stipul. l. 114. ff. de V. O. & statim ab initio quasi intervenisse fingitur, dum diem quando sibi solvi velit, in initio statim adjecit creditor. Dn; Struvius d. l. & hanc interpellationem debitorem ipso jure in morâ constituere asserit Dn. Strauch. d. l. Goedd. ad l. 12. §. 1. n. 11. d. V. S. in obligationibus vero conditionalibus non conditionis existentiam, sed subsecutam demum interpellationem moram inducere probat ex Arum; c. 5. n. 17. Dn. Strauch: d. l. itemq; Dn. Struc. d. l.*

XIX. Mora irregularis seu ex re fit, quæ citra aliquam determinatam conditionem & interpellationem, re ipsâ suâ sponte, & ex solius temporis cursu, quo tardius solutum, committitur. Et hoc partim favore perso-  
na-

narum, ut pupilli & minoris. *l. 3. §. 2. ff. de adim. leg. l. 3. C. in quib. caus. rest. in integr. non est nec. item fisci. l. 17. §. 5. l. 43. ff. d. usur. Ecclesiæ l. 4. C. ex quib. caus. maj. l. 5. C. id. SS. Eccl. quia & hæc jure minoris utitur. Favore libertatis fideicommissariæ. *l. 26. §. 1. ff. de fideic. lib.* Porro si propter debitoris absentiam creditor in interpellatione impediatur. *l. 23. §. ult. ff. d. usur.* Deinde & odio possessoris, ut in prædonibus & furibus. *l. fin. ff. de condict. ob turp. caus. l. 8. §. fin. ff. d. Condict. furtiv.* quia in his non tam dilatio, quam vitium & culpa personæ non solventis moræ causa est. Deniq; in contractibus ultro citroq; obligatoriis, quando altera pars differt adimplere id, ad quod vigore contractus tenebatur, ut quando emptor pro re tradita venditori pretium solvere negligit. *l. 13. §. 20. ff. d. act. empt. Dn, Struv. S. J. C. Ex. 27. th. 68. Berlich. 2. Concl. 38.* ubi pro pretio non exsoluto ratione interesse venditori etiam in singula centena quincunces usuras absq; ulteriori liquidatione & probatione una cum pretio emptorem solvere debere docet; cum iniquum sit emptorem & revenditâ uti frui, & pretium retinere. His addit etiam Menoch. *conf. 924. n. 2. l. 10.* promissionem geminam; sed perperam, cum promissionis reiteratio efficacius tantum obliget debitorem, non vero eum in morâ mox constituat.*

XX. Hæc quæ de morâ debitoris hactenus dicta, non ita sunt intelligenda, ac si eo momento quo interpellatio facta statim debitor in morâ constituatur, sed ex æquitate certum temporis spatium debitori præfigendum, intra quod satisfacere creditori tenetur. Non enim statim elapso die cum sacco adeundus est debitor *l. 105. ff. de solut.* in quâ temperamentum aliquod temporis in  
ex-

exactione adhibendum docet Ictus in *l. 3. ff. d. V. O.* & interponendum aliquod modicum tempus *l. 135. §. 2. ff. eod.* non minimum non maximum, sed quod magis intellectu percipi, quam locutione exprimi potest. *l. 13. ff. d. solut.* & hoc modicum spatium concedendum tam humanitatis quam necessitatis gratia, quo debitori detur tempus debitum conquirendi & tradendi, Cujus vero erit illud tempus modicum? an momenti? an decem dierum? ut in *l. 21. ff. de const. pec.* an aliquot momentorum? ut in *l. 14. ff. d. R. I.* arbitrio iudicis id iudicandum esse probat, Goth. *ad l. 105. L. d. ff. d. §. solut. lib.*

XXI. Creditor etiam moram committere dicitur, qui creditum opportuno loco & tempore oblatum accipere recusat. Invito enim creditori alio loco quam promissum est, solvi nequit, *l. 9. ff. quod cert. loc. & requiritur* ut totum debitum afferat, minus enim solvit qui partem solvit. *l. 12. §. 1. l. 32. ff. d. V. S.* minus autem solvi non debet creditori *§. 33. inst. d. act.* & ita communiter Dd. *ad l. 21. ff. d. reb. cred.* statuunt, Hotoman. *Illustr. quest. 22.*

XXII. Ita contracta mora effectus & quidem a parte debitoris profert, ut obligationem perpetuet. *l. 91. §. 3. ff. d. V. O.* etiam in hærede tam activè quam passivè *l. 17. ff. d. usur. l. 39. §. 1. ff. d. V. O.* Fidejussoris autem simpliciter accedentis obligatio ex morâ rei principalis ad interesse non augetur. *l. 8. ff. quod cert. loc. l. fin. ff. d. fidejuss.* qui enim non in omnem causam fidejussit, ejus obligatio augeri nequit, sed stat terminis conventis; tum etiam id quod interest in arbitrariis actionibus, non stipulatione non promissione rei sed officio iudicis debetur,

tur, unde colligi potest, id ipsum quod interest à fidejussore promissum non esse. *l. 68. §. 1. ff. de fidej.*

XXIII. Alter ejus effectus est, ut omnem rei casum, & periculum omne, ab eo tempore quo mora admittitur in debitorem transferat. *l. 122. ff. d. V. O. l. 173. ff. d. R. I.* ita ut re casu pereunte perinde teneatur, ac si res adhuc extaret; ad aestimationem scilicet & interesse. *l. 45. ff. d. O. §. A.* Exceptio tamen est in eo qui optimam differendi causam habuit. *l. 21. ff. d. usur.* & qui sine dolo malo ad iudicium provocat *l. 63. ff. d. R. J.* Non enim debet possessor aut mortalitatem præstare, aut propter metum huius periculi temerè indefensum jus suum relinquere. *l. 40. pr. in fin. ff. de hered. pet.* Similiter excipitur casus, quando res si apud debitorem existisset, eodem casu perire potuisset; *l. 14. ff. d. R. V.* & hoc verum est in boni fidei possessore, secus in mali fidei detentore, qui uti semper in restituendo moram facit, *l. 46. ff. d. furt. l. 19. ff. d. vi §. vi arm.* ita nunquam non etiam rei interitum præstat.

XXIV. Tertius effectus est, ut ejus quod interest præstationem inducat *l. 22. ff. si cert. pet. l. 8. ff. quod cert. loc.* Ex morâ enim debitoris creditor damnum percipit, & lucrum quod honeste habere potuisset, si mora non fuisset facta, amittit; Interest autem nostrum de nostro nihil decedere, & beneficio rei nostræ aliquid consequi.

XXV. Effectus moræ à parte creditoris est: ut periculum rei debitæ in se transferat, præstationemque interesse impediatur; quia creditor debitum iusto tempore & loco oblatum accipere recusans, damni emergentis & lucri cessantis ipsæmet causa est; quod autem  
dam.

damnum quis propriâ culpâ sentit, sentire non videtur,  
& volenti non fit injuria.

XXVI. Ita tamen contracta mora hosce enumeratos effectus producit, si non purgetur. Purgari dicitur, quando frustratio antea commissâ, re integra sic excusatur, ut omnis pœna ex mora quiescat. Purgatur autem non stricto jure, sed ex æquo & bono *l. 91. §. 3. ff. d. V. O. l. 17. ff. de const. pecun.* æquum enim est Christianos ad ea permovere quæ charitati mutux conveniunt. Excusatio vero ista modo fit à debitore, modo à creditore.

XXVII. A debitore purgatur mora dupliciter; vel ipsius vel creditoris expresso vel tacito facto; quando mora necitur, & adhuc imperfecta est, vel perfecta quidem, usque ad litis contestationem tamen excusabilis; quæ rectius inhiberi, quam purgari dicitur, quia proprie præterita purgantur, præsentia inhibentur. Debitoris facto purgari dicitur, si is totum debitum re ipsâ tempore & loco opportuno offerat, deponat, & obfignet. Qua oblatione in dandi obligationibus liberatur debitor ab interitu rei postea contingente: In faciendi vero à præstatione interesse, post litis contestationem. Debitum autem si ejus naturæ est, ut actualiter & realiter offerri possit, ita omnino offerendum, si vero ejus sit conditionis, ut hoc modo ad creditorem perferri nequeat, verba ad præsentandum sufficere videntur. Sic mora, ut interesse præstatio evitetur, celeri satisfactione in omni obligatione purgari potest; nisi speciale interesse creditoris aliud flagitet, vel dies cum pœna adjecta sit, ubi ipso ju-

D

re

re poena dicitur commissa ; in tantum ut nulla mora  
purgatio locum invenire queat. *l. 23. ff. d. O. § A.*

XXIIX. Creditoris facto & quidem expresso  
purgatur mora, 1. dilatione data, *per l. 113. ff. d. V. O.*  
2. Acceptilatione ; hæc enim imaginem solutionis ge-  
rit, nam qui accepto fert, ita debitorem liberat, qf. sibi  
solutum esset. *S. 1. J. quib. mod. toll. obl. l. 5. l. 16. ff. d. ac-  
cept.* 3. Novatione. Si eandem rem à debitore novan-  
di animo pure *l. 8. d. novat.* non sub conditione. *l. 31. d.*  
*novat.* stipulatus fuerit. 4. Si pactum contractui adje-  
ctum, ne ob moram interesse præstet : Quilibet enim  
juri pro se introducto renunciare potest *l. pen. C. d. pact.*  
quod pactum tamen interesse futurum, non præteri-  
tum tollit. Tacito creditoris facto purgatur, quando  
debitum principale absque protestatione de interesse  
accepit. *Dn. Struv; S. J. C. Ex: 18. th. 68. Berlich; 2.*  
*Concl. 38.*

XXIX. Creditor vero purgat moram, si post ob-  
lationem iterum Interpellet debitorem. Hoc enim  
casu moram à se commissam in debitorem devolvit,  
seq; quodammodo culpâ eximit. *l. 7. ff. d. peric. § comm.*  
*rei vendi* ita tamen ut non longum tempus inter obla-  
tionem & interpellationem intercedat. *l. 135. §. 2. ff.*  
*d. V. O.*

XXX. Minus fortassis inconcinnè præprimis in  
faciendi obligationibus ejus quod interest ratio indu-  
ctiva libertas dicitur, quod videlicet ob debitoris liber-  
tatem tuendam sit introductum ; Cum quoddam ser-  
vitudinis genus sit, præcisè adimplere id quod promissit.  
Sunt tamen casus enarrati à Lorio *tr: de eo quod In-  
terest ax. 48. 49.* In quibus hæc libertas non attenditur,  
sed

fed quis præcisè ad factum compellitur. 1. Ob publicam utilitatem. 2. Propter juramentum; si juravit se facturum, ne magna illius arguatur perfidia,

XXXI. Porro ejus quod Interest rationem habendam 1. in damno; cujus exemplum suppeditat Paulus in l. 22. pr. ff. ad Leg. Aquil. si seruum occidisti, quem sub pœna tradendum promisi, utilitas venit in hoc iudicium, i. est pœna, quam ex patrimonio meo jam præstare cogor; 2. In lucro, exemplum est in l. 21. §. 3. ff. de act: empt: patet ex d. l. unic. C. de sent: quæ pro eo quod interest prof: § l. 13. ff. rem rat: hab: in verb: quantum mihi abest quantumq; lucrari potui. Damnum autem ab ademptione & quasi deminutione patrimonii dicitur l. 3. ff. de damn: infect: sic dicitur etiam damnum famæ nostræ & existimationis l. un: C. si contr. matr. volunt: tut: dat: & damnum voluntatis. l. 23. §. 2. ff. de fideicom. libert:

XXXII. Est autem interesse damni emergentis detrimentum, quod patitur creditor causa debitoris, ut quia pecuniâ carens res suas vilius vendere cogitur, quo satis faciat suis creditoribus. Vel est utilitas quæ actori per deminutionem patrimonii abest. Lucrum vero cessans describitur à Gothofr: ad d. l. 13. ff. rem rat: hab: quod sit compendium, quod quæri potuit, nec est acquisitum. Vel est amissio lucri facta à creditore ob pecuniam sibi debitam, & à debitore tempore debito non exolutam. Vel est utilitas quam consequi potuit actor solius rei de qua agitur interventu.

XXXIII. Lucrum cessans appellatione damni nisi latissimè accepti non rectè venire ex utriusque descriptione patet; Et hoc est quod dicitur in l. 26. ff. de damn:

D 2

infect:



*infest.*: longe interest, utrum damnum quis faciat, an lucro quod adhuc faciebat, uti prohibeatur, nec pro paribus habetur lucrum perdere, & damnum pati *l. fin. C. de Codicill.* semper enim facilius permittitur lucri impeditio, quum damni datio. Differentiam damni à lucro cessante vide explicantem Alciatum d. l. Atque hoc plurimum habere in praxi monenti testatur Gail: *O. 6. l. 2.* Ut sc: non sit par ratio utriusq; interesse damni emergentis & lucri cessantis, sed quod utrumque per se consideretur. Interesse damni emergentis, non vero lucri cessantis, in actione b. f. regulariter actor à tempore moræ petere potest. Lucrum vero cessans in iudiciis præsertim in Camera non considerari per *tex. l. 21. §. 3. ff. d. act. empt.* asserit Gail. d. l. Nisi in mercatore negotiari solito cui post moram etiam lucrum cessans adjudicatur per *l. 2. §. 8. ff. de eo quod cert. loc.* quo etiam referendus text: in *l. 13. ff. rem rat. hab.* in verb: *quantumque lucrari potui.* Cravetta *cons. 479. n. 7. 8. Dn. Mev: ad J. Lub. l. 3. art. 2. n. 8.* quando autem lucrum mercatori adjudicandū sit, ostendit Natta *Cons. 370. vol. 2.*

XXXIV. Requiritur insuper ad lucrum cessans, ut sit i. certum, seu ita comparatum, ut fermè de eo amplius dubitari non possit. Potentia enim actui proxima habetur pro ipso actu, & cingendus habetur pro cincto arg: *l. 187. ff. d. R. J.* 2. Justum, quod quis legitime ex iustâ facturus Causâ erat; quod enim non hoc modo speratur, pro lucro non habetur, arg: *l. 15. ff. de cond. Inst.* Non obstat. *l. 71. §. ult. ff. defurt.* Ubi est injustum lucrum, quod quis captat ex re alienâ invito Domino, ideoque non æstimabitur: Nam ei qui pro hærede possidet, seu qui putat se hæredem esse, cum

cum revera non sit hæres *l. 11. ff. de pet. hered.* non competit actio furti, cum ejus non interfit, rem non surripi, nec damnū passus sit, quin imo lucrū injustū captaret ex re aliena. Quæritur hic an ab initio contractus mutui liceat pacisci pro interesse lucri cessantis? quod latè videri potest apud Domin. Soto *in l. 6. de j. & j. quest. 1. art. 3. concl. 4.* qui scribit, veram & receptam opinionem esse, non licere. Talis enim conventio tempore contractus facta, tanquam usuraria non subsistit, propter fraudis suspicionem, cum interesse eo tempore adhuc incertum sit. vid. Panorm. *c. fin. de usur.* Rectè scil. illi ex hypothese Juris Canonici: sed jure Civili, quo usura probatur, nihil est causæ, cur non ejusmodi pactio subsistere possit.

XXXV. Cum autem infectum esse nequeat, quod factum est, neq; quis facile vi ad factum invitum adigi possit, nullum remedium quo damnum passo succurratur, superest, quam ut quemadmodum facti, ita & non facti æstimatio exigatur: quæ in eo potissimum consistit, ut consideretur quanti interfit id factum non esse, quod factum est, vel id factum esse, quod omis- sum est. Cumq; omnis obligatio vel in dando aliquo, vel in facto præstando consistat, ad illas si quid accedit, videlicet ut vi pacti adjecti certo modo quid fiat, loco certo, certoq; diè quid præstetur, neq; præstitum, consequitur actor, quanti sua interest factum non esse contra quam debuit. *l. 2. pr. ff. de eo quod cert. loc. l. 114. ff. d. V. O.* Sic quando venditor rem venditam emptori non tradit, atq; ita per moram tradendi facultatem amittit, tunc quia non fecit, quod facere debuit, ad interesse emptori tenetur. *l. 4. C. d. act. empt.* alias enim juris

ris expediti est, venditorem aliumq; debitorem, qui ad traditionem exhibitionemq; rei alicujus se obstrinxit, eam præcisè tradere teneri, nec præstando interesse liberari, ut patet *ex l. 25. §. 1. ff. de contrah. empt. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. l. 75. §. ult. ff. de V. O.* ubi necessitas tradendi haud obscurè evincitur; ita etiam *in l. 68. ff. d. R. V.* manu militari possessio dicitur auferenda. *Andr. Fach. l. 2. Contr. c. 8.* Attamen quia per moram tradendi facultas venditori plane ablata est, ita ut ipse rem istam venditam nullo modo amplius emptoris facere possit, præstando id quod interest liberatur. *l. 1. pr. ff. d. act. empt.* cum ad impossibile nemo adstringi possit, & debitor propter impossibilitatem præstando id quod interest liberatur. *Cravett. part. 1. Conf. 12. n. 3. in fin.*

XXXVI. Cum venditor quandoq; præter rei traditionem, quædam de re, quædam non nunquam de se ipso recipere soleat, promissis vero haud stet, condemnatur ad id quod interest, factum fuisse quod promiserat; ut quando venditor de se promittit, dolum malum abfuturum, se nihil in ea re dolo malo facturum, idq; expressè vel tacitè, cum venditio contractus b. f. sit. *§. 28. inst. de Act.* in quibus dolus malus longè abesse jubetur. *l. 5. §. ult. ff. de act. empt.*

XXXVII. De re venditor interdum affirmat, ita fore, rem venditam esse absq; vitio nominatim inter contrahentes expresso, vel quando scienter servum fugitivum vendidit, vel eum, qui cum ignoraret furem esse, bonæ frugi & fidum asseveravit, & tunc totum quod interest præstat. Sic in venditione, locatione, & commodato vasis alicujus *l. 18. §. 2. ff. commod.* in dubio in-

intelligitur, ut in corruptum præstetur; quod si quis  
nesciens, & de quo nihil nominatim affirmavit, vendi-  
derit, vel locaverit, tenetur ad id quod interest acci-  
pientis. *l. 19. §. 1. ff. locat. l. 6. §. 4. ff. de act. empt.* quia qui  
vas se vendere dicit, eo ipso dicit idoneum se nec vi-  
tiosum vendere: cum vas pertusum, vas non sit. Vas  
enim est instrumentum ad aliquid capiendum idone-  
um. *l. 19. §. 10. ff. de aur. & arg. leg.* non autem est ido-  
neum ad accipiendum, quod immixtum continere non  
potest, E. nec vas est. Si vero eodem modo vel li-  
gnum vitiosum vel hominem furem vendidit, non  
tenetur ad id quod interest: ratio est, cum homo fur  
nihilominus homo sit, quem in patrimonio habere  
possumus, & tignum vitiosum nihil ominus tignum sit,  
quo non tantum ad ædes fulciendas & onera gravio-  
ra ferenda, sed etiam ad alias res utimur. *vid. l. 13. in  
princ. ff. d. act. empt.*

XXXIX. Itemq; emptor pretium non solvens ad  
interesse tenetur, habito respectu ad fructus rei emptæ;  
cum iniquum sit, emptorem & re vendita uti frui, &  
pretium penes se retinere, bona fides enim non pati-  
tur, fructus rei emptæ percipere sine solutione. *l. 50. ff.  
de act. empt. l. 5. c. eod. Myns. Cent. 4. O. 56. Berlich. concl.  
38.* Qui tamen inter se dissident in quæstione: Si em-  
ptor propterea non solvat pretium, quod imminente  
evictione venditor idoneè de evictione cavere detre-  
ctet, an etiam tum teneatur ad interesse? quod hic,  
negante illo, affirmat d. l. Quæritur hic I. An locator,  
ante finitam locationem fundum locatum vendens,  
ad interesse conductori teneatur? & resp. quod sic.  
Æquum enim est, ut lucrum, quod ex re conducta, si  
eâ

eâ ad finem usq; locationis uti licuisset, percipere potuisset, capiat. *l. 24. §. 4. l. 30. §. 33. ff. locat.* Q. 2. An & depositarius ad interesse præstationem sit adigendus? in qua quæstione, ut in offenso pede procedatur, distinguendum: an videlicet depositarius contractus hujus formam & naturam probè servaverit, nec ne? servat autem 1. si rem depositam custodiat. *l. 1. pr. ff. depos.* & sic non in usum suum vertat & consumat. 2. ut eandem quodocunq; deponenti libuerit, restituat incorruptam. *l. 1. §. 6. ff. depos.* hæc si observaverit depositarius, ad interesse præstationem minimè adigendus est. *l. 24. d. t.* cum depositum tantummodo deponentis, non depositarii contineat utilitatem, *l. 5. §. 2. ff. commod.* ex quo etiam in *d. l. 24.* iniquum censetur, à depositario usuras exigere: quod ipsum etiam exinde patet; quod usuræ instar fructuum sint. *l. 34. ff. de usur.* cum autem depositarius in re deposita jus utendi fruendi non habeat, nec fructus seu usuræ ab ipso exigi poterunt. Si vero naturam depositi transfiliat, req; depositâ utatur, quod est contra naturam hujus contractus, cum utilitas rei depositæ deponentis sit. *d. l. 5. §. 2.* E. si utilitatem ex re deposita capiat, non inique propter usum interesse solvere tenetur. *l. 26. §. 1. ff. depos.* cum iniquissimum sit, eum, qui abstinentem ab omni lucro fidem debet, ex re deposita fieri locupletiozem. Idem de depositario dicendum, qui rem, quando deponenti libuerit, non restituit. *d. l. 24.* & hoc est quod dicitur. *l. 2. C. eod.* Usuræ in depositi actione, ut in cæteris b. f. judiciis ex morâ venire solent. Quicunq; igitur moram nequit, interesse præstabit; Depositarius dere restituenda interpellatus, interpellationemq; contemnens,

nens, moram nequit E. Interesse præstabit. Nec sufficit ut rem restituat, sed requiritur ut etiam integra sit; hoc si desideratur pari modo ad interesse tenetur, *Arg. l. 3. §. 1. ff. commod.* Si modo dolo ejus res corrupta sit. *l. 1. §. fin. ff. depos. §. 3. Inst. quib. mob. re contr. obl. l. 23. ff. de R. J.* Sub qua & lata culpa comprehenditur *l. 7. pr. ff. depos. l. 32. eod.* Nisi depositarius se ipsum deposito obtulerit, vel summam diligentiam in se receperit: quo casu etiam de levissima culpa tenetur. *Myus. ad §. 3. n. fin. J. quib. mod. re contr.* Q. 3. An in tempestate jactanti merces suas pro communi periculo avertendo, Interesse lucri cessantis, ab iis quorum merces propter jactum servatæ sunt, peti possit. Resp. quod non; cum illi sufficere debeat, recuperare pretium, quo illas comparavit, lucrum vero casu interceptum esse, æquo feret animo *l. 2. §. 4. ff. ad L. Rhod. de jact.* Dn. Struv. *S. J. C. Ex: 20. th. 19.* Q. 4. An etiam donator teneatur donatario ad Interesse? Quod asserendum videtur propterea, quod hodie etiam in stricti juris contractibus, qualis est donatio *l. 22. ff. de donat.* interesse exigi possit. Et debet ipsius negligentia imputare donator, quod rem donatam non tempore & modo convento tradiderit. Q. 5. & ultimò An in concursu creditorum eodem jure prælationis gaudeant fors & interesse? De jure Civili, hoc est affirmandum *l. 18. qui pot. in pign. Myns. cent: 1. ob. 59.* De jure Saxonum idem affirmat. *Carpz. def. 164. & Dn. Richter. tr. de concurs: credit: c. ult. n. 38. §. seqq.* Tutor, procurator aliusque debitor quando ad interesse teneatur, docet *Honded. 2. Conf. 38.*

XXXIX. In obligationibus vero quæ in faciendo

E

do

do consistunt, sive id actum, ut aliquid fiat, sive ut ne  
quid fiat, etiam id quod interest in ipsa obligatione te-  
neri, patet ex *l. 81. ff. de V. O. §. ult. eod. J. Dn. Struv.*  
*S. J. C. Ex. 47. th. 22.* Sic & interdicta omnia, *pr. Inst.*  
*de Interd.* cum in faciendo consistant, eandem petiti-  
onem condemnationemque admittunt. Item male-  
ficia, ea videlicet, in quibus non certa poenæ quantitas,  
sed in id quanti ea res est, de qua agitur, actio constituta  
est: ut in actione *L. Aquil. l. 21. ff. ad L. Aquil.*

XL. Si vero res, postquam perempta est, pro-  
mittatur, neque illa, neque ipsius aestimatio debetur  
*l. 130. ff. d. V. O.* Idem quoque est, si res promissa ante  
moram perierit *l. 23. ff. eod.* quia ante moram debitor  
speciei interitu liberatur. Si vero res, quæ in genere  
suo functionem recipit, pereat, ante moram interitu  
non liberatur promissor; Cum ejusmodi res perire  
non possint, & semper haberi præsumantur. Dictum  
superius, quod in obligationibus dandi præcisè quis ad  
dandum teneatur, nec præstando interesse liberetur.  
Aliud tamen est in dationem promittente, qui enim  
ita promittit, non dat, sed se daturum promittit, quæ  
promissio facti est: E. interesse præstatione libera-  
bitur.

XLI. Nec huc pertinet 1. Interesse affectionis:  
æstimatur enim res quanti verè est communi iudicio,  
& pretia rerum non ex utilitate singulorum, & affecti-  
one æstimantur, sed communiter funguntur, *l. 33. ff. ad*  
*L. Aquil.* cumque plerumque homines erga suas res  
stultâ quadam & non nunquam ridiculâ ferantur affe-  
ctione, quam iudex æqui & boni arbiter in alterius  
præjudicium æstimare non debet. Nec 2. Interesse  
al-

alterius: Inventæ enim sunt stipulationes, ut unus-  
quisque sibi acquirat, quod sua interest, *l. 38. §. 17. ff. d. V. O.* Nec 3. utilitas extra rem. Peretz in *Cod. ad d. l. un.* cuius exemplum est in *l. 21. §. 3. ff. de act. empt.* ubi quis triticum emit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia ejus fame laboravit, & pretium tritici tantum, non servorum fame necatorum consequitur. Non enim ex mora debitoris damnum hoc necessario resultat, cum poterat venditione servorum præcaveri, & non magis damnum propterea contigisse dici potest, quod quis triticum debitum non acceperit, quam quod aliunde quodvis non habuerit. Et quia hic utilitas remota extra rem est, eam non attendit iudex; Nisi alterius dolus vel culpa subsit, *l. 6. §. 4. ff. de act. empt. l. 10. §. 1. ff. loc.* Nec 4. lucrum quod aliunde etiam non tantum ex re non præstita haberi potuit, *l. 21. §. 3. ff. de act. empt.* Nec 5. Vani de damno timoris habetur ratio. *184. ff. d. R. J.* Veluti si in præsentem debitor sit locuples, non propterea damnari debet ob satisfactionem non præstitam, quod ille possit in paupertatem incidere, & fieri non solvendo. Nec 6. Interesse quod non est pecuniarium; Ut legere libros tuos, ut doctior evadam, *l. pen. ad exhib.* Nec 7. lucrum, quod quis beneficio mero ipsius adversarii, qui nunc illud intercipit, antea habebat; hoc enim tam diu uti licet, quamdiu is a quo provenit, patitur. *l. 26. ff. de damn. inf.* Nec 8. in casu *l. 71. §. 1. ff. de furt.* Nec 9. Illud interesse, cuius nomine certa quantitas, quasi poena exprimitur, in quam quis teneri debet, quia tunc non amplius id quod interest consideratur, *§. ult. Inst. de V. O.* nisi actor probare voluerit, plus poenâ istâ sua inter-



esse, l. 28. ff. de act. empt: Nec denique 10. Illud interesse venit Considerandum; quod P. Rebuffus in *declarat. super interesse* vocat æstimabile non petibile. Exemplum subjicit, quia mea interest, non habere domum delectabilem, vel pulchram hospitam omnibus propitiam, propter magnum numerum eam visitantium, & amicorum concursum.

XLII. Expositis jam negotiis in quibus id quod interest præstandum, & in quibus non: Ulterius ratio & modus considerandus, quomodo in iis, in quibus potest, præstari debeat: Hoc vero ostendit Imperator in *d. l. un. C. de sentent. que pro eo quod interest prof.* ubi distinguit inter casus certos, & incertos, in illis duplum excedere vetat, in his dupli excessum concedit. Casus autem certi sunt, qui habent certam quantitatem vel naturam, tam à naturâ, quam dispositione hominis. Casus dicitur *lis seu quæstio* in judicium deducta, seu facta incidentia, in quibus obligatio oritur. Per certam naturam, res certæ naturæ intelligitur, duplum enim non potest alias constitui, cum res in obligationem deducta, sit simplex præexistens, ex cujus quantitate duplum æstimatur, quandoquidem duplum est illud, quod eandem summam bis in se continet.

XLIII. Causam moventem, quare ad certam quantitatem hoc in casu id quod interest restringere voluerit, addit ipse Imperator in *d. l. un.* Cum pro eo quod interest dubitationes antiquæ in infinitum productæ sint, melius nobis visum est, hujusmodi prolixitatem, prout possibile est, in angustum coarctare.

XLIV. Ad duplum vero restrinxit legislatoria potestate, quia non putavit, facile futurum, ut ultra duplum

plum alicujus interfit: ex his enim, quæ fortè uno atq; altero casu accidere possunt, jura non constituuntur. *l. 4. ff. d. LL.* nam quod semel aut bis existit, prætereunt Legislatores. *l. 3. s. 6. d. t.* vel quod veterum sententias secutus, qui ultra duplum non posse exigi judicarunt.

XLV. Quia in duplo semper simplum inest, nisi perspicuè à LL. aliæ actiones ad duplum, aliæ & diversæ ad simplum consequendum constitutæ sint: uti in furto reperitur. *§. ult. inst. de obl. quæ ex delict. nasc.* quod in hoc nostro casu minimè invenitur, E. à generali regula non erit recedendum. Simplum ergo est, quod ex ipsa obligatione debetur, ut est. v. g. res vendita, fundus, & pretium quo res est vendita. *l. 31. & l. 60. ff. de evict.* quod si res vendita sit pluris vel minoris, quam justum pretium, simplum non ex eo pretio quo venire debuit, sed quo res veniit æstimandum. Giphani. *ad d. l. un.* v. g. si res sit empta, de qua inter contrahentes conventum, ut valeret 10. quæ tamen tunc temporis communiter valuit vel 8. vel 12. hic non attento communi illo valere, emptor consequitur geminatam summam in contractu expressam, videlicet 20. Si vero nulla certa quantitas sit expressa tunc demum ad communem æstimationem dupli taxatio exigenda, ut si tempore contractus res communiter valuit 8. consequatur. 16.

XLVI. Hoc quod dictum est de dupli quantitate, intelligendum est, si petens interesse etiam ultra duplum exigat, aliàs si minoris interfit, ad duplum ne quidem veniendum ratio dicitur. Et ita in casu certo præstatur interesse, nisi quandoq; æquitas suadeat, ut duplum illud transcendatur, ut quando debitor ex mora

sua supra duplum locupletior factus. *l. 14. ff. de condict. indeb.* & quando dolus subest. *l. 13. in pr. ff. de act. empt.* plures casus vide apud Camil. Plaut. *d. l. n. 14.* & Baert. *tr. de eo quod interest. n. 70.*

XLVII. Casus incerti sunt, qui nec certam quantitatem nec naturam continent, & iudex inquirere debet, ut hoc damnum, quod re vera illatum, resarciatur. Seu quorum simplum incertum est, ut neq; ex singulari conventionem, neq; ex communi hominum usu certitudo vel modus queat desumi, ut sunt obligationes facti.

XLIIII. Ut autem ex facto casus incertus fiat, requiritur ut nudum factum, absq; alia causa adjecta, ex qua certitudo quaedam rei per se incertae possit comparari, in obligatione sit expressum; si enim casus accidat, qui incertum, ob certam suam quantitatem vel naturam, quodammodo certum efficiat, inter certos merito numeratur casus: sic ex facto, quod alias absolute incertum nuncupatur in *l. 75. §. 7. ff. d. V. O.* si certum aliquod, vel certa quaedam utilitas, certo pretio aestimanda, fluat, vel si ad certum finem tendat, certus casus est, ut patet in exemplis ab imperatore in *d. l. unie.* adjectis, in venditionibus scilicet & locationibus: in quibus videtur factum aliquod subesse, dum venditor facere aliquid teneatur, nempe rem venditam tradere; locator itidem tenetur conductori rei locatae usum concedere, & propterea, contra quam sensit imperator isti contractus ad casus incertos essent referendi. Verum cum factum, quod hic subesse videtur, ita a contrahentibus est qualificatum, ut ad certum finem, vel certum quid tendat, dum emptor certam rem, venditor certum istius rei pretium, locator certum pro usu rei pre-

pretium, conductor certum rei usum intendant, & recte quoq; ad certos relati sunt casus. dissent. Petr. Loriott. *d. tr. dx. 36.*

XLIX. Non est existimandum, omnes contractus semper ad casus certos referendos esse, sed accidens potius est, & contingit ipsis certa natura. Certitudo enim casus non iudicatur ex genere seu causa obligationis, sed ex re, quæ in obligationem venit, & ii dicuntur certi, qui certam habent quantitatem.

L. Referuntur porro ad casus incertos interdicta omnia: v.g. restitutio operis vi aut clam facti. *l. 15. §. in hoc ff. quod vi aut clam.* causa possessionis. *l. 1. §. 1. ff. de acquir. poss. idem delicta.* Neq; obstat, quod in delictis certæ res interdum versari intelligatur, ut in furto, in rapina, in damno injuriâ dato, quia non harum æstimatione deducitur in obligationem, sed tantum id venit considerandum, quanti scilicet interest, delictum non esse admissum. Peretz, *ad d. l. un.* Alciatus *d. tr.* constitutionem saltem loqui putat de solis contractibus, posse tamen delicta ratione doli mali incerta esse, & idcirco secundum constitutionis casum attendi, ut interesse refundatur. Quæritur hic, an servitutes certæ dicantur, vel incertæ? & incertas eas putat Alciat. *d. tr.* quia in iis nequaquam certa natura aut quantitas est, in arbitrio ergo jus dicentis erit, quatenus intersit in eis æstimare.

LI. Item omnes casus, in quibus dolus intervenit, incerti sunt, in incertis autem casibus cum omnis utilitas in considerationem veniat, merito etiam in historum quod interest præstandum venit. *l. 13. ff. de act. empt.* dolus tamen qui in se quidem incertus, *l. 7. §. 9. ff. de pact.*

*paet.* ipsam principalem causam certam naturam & formam habentem propterea non reddit incertam, sed sua existentia hujus naturam quasi obfuscat, & ut ipsius potius, quam hujus ratio habeatur, efficit; cum dolum publicè vindicari expediat. *l. 14. C. de pæn. & legum auxilio indignus sit qui dolo utitur. l. 37. in fin. ff. de minor.*

LII. In casibus hisce incertis iudex per suam subtilitatem requirere debet, ut hoc quod revera inducitur damnum hoc reddatur, & non ex quibusdam machinationibus & inmodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur. *in d. l. un. nam in casibus incertis, qui certam naturam vel quantitatem non habent, ad finem dupli non taxatur id quod interest, sed arbitrio iudicis relinquitur, ut ipse æstimet, quanti in rei veritate actoris vel rei intersit. Verum autem dicitur, quod damnum revera patimur; veritas intelligitur illa, quæ extra affectionem privatam ejus est, qui damno affectus est. In casibus enim certis ad duplum restrinxit imperator, quod in his certam naturam & quantitatem habentibus, illud initio in obligationem venit, quod postmodum duplari potest: in incertis vero cum nihil certi sit, quod hoc modo duplari possit, merito pro arbitrio iudicis etiam ultra duplum procedi potest; adeo ut licet decuplo debito principali sit majus, nihilominus totum præstandum sit, *l. 12. ff. ad L. Aquil. Dn. Strauch. Ex 18. th. 20. & 21.**

LIII. Certitudinem vel incertitudinem ex probatione accipiendam esse, vult Alciat. *d. tr.* ut si facilis esset probatio, certus esset casus, si difficilis incertus, quia id quod interest in facto consistit. *l. quatenus. ff. d. R. I.* factum autem ex probatione pendet. Verum quantum

quam interesse quatenus quantiſque ſit in facto confi-  
ſſit, attamen quid ſit, & in quo ſtatuatur, juris eſt. *d. l.*  
*in. C.* Nec ex faciliori probatione certum facit ca-  
ſum; nam ſi faceret, certi conditione ageretur *princ:*  
*Inſt. de V. O.* Cum tamen incerti agatur, quamvis ſit  
facilis probatio. *Loriot. d. tr. ax. 30.*

LIV. Ex illis quæ ante dicta ſunt, poteſt intel-  
ligi effectus ejus, quod alicujus interesse cœpit. Nam  
efficiens cauſa ex materiâ debito modo formâ ſuâ  
affectâ producit hic obligationem, ex quâ, tanquam  
matre, actio nascitur, quâ is, cui alterius injuriâ dam-  
num aliquod datum, aut lucrum interceptum eſt, agit  
adverſus eum, qui damnum intulit, aut lucrum inter-  
cepit, ad illud reſarciendum. Cum autem hæc interesse  
petitio inſtituatur, & in conſiderationem veniat pro-  
pter principalem aliquem contractum, ſemper iſte in-  
troſpiciendus eſt: Ut ſi Principalis contractus eſt em-  
ptio venditio, & ex hoc contractu Interesse petendum  
veniat, petitur id actione empti. *l. 1. pr. de act. empt.* Si  
vero principalis contractus eſt vel locatio conductio,  
mandatū, depositum, vel alius aliquis contractus, inter-  
eſſe etiam iisdem actionibus petendum eſt. An vero  
interesse per judicis officium præſtandum, peti poſſit  
poſt latam ſententiam ſuper cauſâ principali? Oſten-  
dit *Gamma dec. 191. p. 150.*

LV. Petitur id quod intereſt modo principaliter,  
cum eſt illa ipſa res quæ petitur, propter incertitu-  
dinem, quod videlicet principale debitum nec certam  
quantitatem nec naturam habeat: Modo minus  
principaliter, cum ejus petitio annectitur cauſæ princi-  
pali;

F

pali ; & hoc obtinet in casibus certis , in quibus principale debitum certum est. Utrumque potest indeterminate sine expressa certa quantitate peti , quod tamen postmodum in processu ad certam quantitatem liquidatione redigitur. Verum hic fortassis dubium moveri possit , quod libellus sit incertus & generalis , ideoque non admittendus , cum generalis libellus ratione incertitudinis , si pars opponat , non admittatur. Rectè tamen hic admittitur : Quia declaratio incertitudinis hic non est posita in actore , sed potius in iudice , cum æstimatio interesse pendeat ab ipso iudice *d. l. unic. C. quo casu incertitudo libelli admittitur*. Sichard. *in Cod. de act. empt. vend. p. 470. n. 13.* Rectius tamen quem facturum monent Dd. si certam quantitatem in libello exprimat , hac clausula adjecta , plus minusve , prout liquidabitur in processu. Gloss. *in l. 2. §. 5. ff. de V. O.* Si igitur , actor principaliter interesse petit , tunc , quia id quod interest incertum est *l. 24. ff. d. R. J.* Incerti actione etiam hoc ipsi petendum erit. Nisi interdum certa quantitas loco interesse petatur , tunc enim certi conditio locum habebit. *l. 9. §. 1. ff. si cert. pet.*

LVI. Hæc in factum ad Interesse actio frequentissimè in iudiciis intentatur , ad quam plerumque confugiunt læsi , satis sibi per hanc consultum existimantes. An autem prudenter ita à litigantibus fiat , merito dubitat Carpz. *l. 3. Resp. 100.* Propter difficillimam eius quod interest probationem , unde *num. 7. Ibid.* videant , inquit , actionem ad Interesse intentantes , ne spe sua frustrati parum lucri reportent. Interesse enim consistit in facto *l. 24. ff. d. R. J.* ea autem quæ facti sunt diffi-

difficiliter probantur ; Quocirca ad interesse agentes prius secum probè deliberare debent, utrū id probare possint. Nihil enim si probatur, nulla fit condemnatio, & si in conventionem placuerit, soli assertioni allegantis interesse standū esse, quod pactū nō relevare ab onere probandi ex Coler. *de process. execut. part. i. c. 10. n. 147.* probat Mevius *ad Jus Lub. l. 3. t. 1. art. 2. n. 12.*

LVII. Requiritur autem Dd. ad probationē interesse ex damno, ut petens probet, damnum datum propter carentiam pecuniarum sibi debitarum, ut pote quod tantundem pecuniæ sub usuris acceperit, vel quod in pœnam aliquam incidit, vel quod annonam carius emerit, quam non emisisset, si pecuniam habuisset, vel quod ædes ruinosas reparare non potuerit. Vid. de hac probatione Mascard. *in diffuso & erudito opere de probat. Conclus. 933. n. 8.* Tretacinq. *var. resolut. l. 5. tit. de Interesse resol. 1. fol. 202.* Menoch. *de arbitr. jud. quest. l. 2. cent. 2. cas. 119. n. 16.*

LIIX. In lucro cessante major probandi difficultas versatur. Teste enim Menochio *d. l. lucrum cessans est non ens*, non entis vero nullæ sunt causæ, & ob id probari non posse videtur ; Conjecturis ergo probabitur, nam quæ sunt difficilis probationis, non requirunt plenam probationem, sed sufficiunt conjecturæ verisimiles. Berlich. *2. Concl. 38. n. 5.* Sicuti tradunt Gloss. *ad l. 3. ff. de eo quod cert. loc.* Quomodo autem hoc fiat, variè tradunt Dd. quidam sufficere putant, si probaverit creditor, tantum lucrum ab aliis fuisse acquisitum, seque in eodem vitæ genere constitutum eadem occasione & modo, si pecunias debitas habuisset & elocasset, idem lucrum facere



potuisse Gail. l. 2. *Obs.* 6. n. 5. Benev. Stracha de mercat. tit. de Contractibus mercatorum n. 3. Natta l. 2. Conf. 370. hancq; opinionem communē esse dicit Bursat. l. 1. con. 68. n. 31. & sic probare debet, lucrum fuisse impedirum ob carentiam pecuniæ creditæ, & quod nullā aliā viā lucrum hoc capere potuerit, quod videlicet aliam pecuniam in arca repositam non habuerit. Alii verō insuper requirunt, ut lucrum sit præ manibus, certum, & infallibile, ut certo haberi potuerit, & ut ex eo solo, quod præstandum erat, non etiam aliunde haberi potuerit: Donell. d. tr. Mascard. d. l. n. 24. Covarruv: l. 4. *variar. resolut.* c. 1. n. 3. Si igitur non plane certa spes habendi fuerit, sed fortē haberi, fortē non haberi potuerit, cujus exemplum est in l. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil. & certō quidem haberi potuerit ex re debita, potuerit tamen idem aliunde etiam haberi, uti casus est in l. 21. §. 3. ff. de act. empt: tunc nisi hoc specialiter in contractum fuerit deductum, in nullo iudicio regulariter debetur. Verum cum utroque modo lucrum non satis certum esse possit, propterea quod multa eveniunt, quæ lucrum alias certissimum ē manibus eripere possunt. Uti hoc patet ex l. 55. ff. de acquir. rerum dom. ubi licet aper in laqueum meum inciderit, & sic proximam ipso potiundi habuerim potentiam, attamen quia nondum naturaliter ipsum cœpi, non est meus, & ex l. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil. ubi retia in proxima potentia fuerunt capiendī pisces, non tamen piscium, quī ob turbata retia capti non sunt, fit æstimatio, addita ratione, cum incertum fuerit, an caperentur. Nec solent mercatores uno atque altero tempore æquē lucrari. Rectius itaque statuere videntur, qui probationem

rem istam arbitrio discreti iudicis committendam esse volunt, qui circumstantiis omnibus probè ponderatis, taxationem æstimationemq; ejus quod interest consultius instituet, & quandoq; creditori generaliter interesse probanti super ejus quantitatem deferet juramentum. *l. 2. §. fin. ff. de eo quod cert. loc. Gail. l. 2. O. 6. n. 5. Mascard. d. l. n. 22. Jacob. Menoch. d. l. n. 10.*

LIX. Si quandoq; creditor difficultatem probationis metuens, loco ejus quincunces usuras petat; hodie de consuetudine per universum imperium observata, istæ absq; ulla liquidatione & probatione debentur. Recess; des Deputation-Tags zu Speyr / Anno 1600. sub fin. §. So viel nun diesem/ &c. quam constitutionem promiscuè in omnibus creditoribus cujuscunq; sint conditionis procedere probat Berlich. *d. l.* Si vero interesse probationem semel quis susceperit, & in probatione deficiat, non ei integrum est mutare iterum sententiam, & loco ejus quincunces usuras petere. *idem. n. 27.* Q. An quincunces usuræ loco interesse etiam ultra alterum tantum exigi possint? Affirm. Zang. *de Except. part. 3. c. 35. l. 3. §. 8. ff. de eo quod certo loc. & eum secutus Berlich. d. l.* qui sententiam hanc præjudicio quodam Schabinorum Lipsiensium confirmat.

LX. Vult imperator, ut iudices qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirant, ut hoc quod revera inducitur damnum, hoc reddatur: & ne forte iudex aliquis imprudens sententiam pro eo quod interest sine competenti moderamine proferat, ejusq; condemnationem in infinitum deducat, ne pro sua impos-

impossibilitate cadat, cum naturæ congruum dicatur, eas tantum pœnas exigi; quæ vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine conclusæ statuuntur, ideo ipse imperator Justinianus in sua sanctione *d. l. unic.* taxationem quandam à iudice observandam expressit, hoc modo. Si incertum fuit illud, quod in obligationem deductum, adeoq; petito incerta, iudex per suam subtilitatem requirat, quanti revera interest, ac incertum illud per certam condemnationem, certamq; sententiam determinet, *S. 33. in ff. de act.* iudex insuper cavere debet, ne in faciendi obligationibus ad ipsum factum, sed tantum ad pecuniam numeratam condemnet. Si quandoq; dubium sit, quantum revera actoris intersit, ad exiguam potius summam condemnationem dirigat: quia semper in obscuris, quod minimum est, sequimur *l. 9. ff. de R. J.* In rebus fungibilibus, ut in vino, oleo, tritico, & illis quæ generaliter debentur, ut equus, non in æstimationem neq; ad hunc vel illum equum dandum, cum rei sit electio, quæ iudicis sententia auferri nequit, condemnet. In casibus vero certis iudicis officium est, non condemnare ultra duplum, ut: e. g. quando emptor emit rem pro pretio 50. aureorum, pretiumq; numeravit, venditor vero tradere differt, petit emptor sibi præstari quod sua interest, rem fuisse traditam, iudex hoc moderamine sententiam proferre debet, ut non ultra 100. condemnet venditorem.

LXI. Sic etiam iudex in æstimatione & taxatione rationem habere debet interesse omnium annorum, tam primi, quam secundi & aliorum sequentium, donec

nec & usq; quo commissa erit mora solvendi debi-  
tum, quia debitor semper est in morâ *l. 3. §. ult. ff. de eo  
quod cert. loc. l. pen. C. de usur.* Jacob Menoch. *de  
arbitr. judic. quasi. l. 2. cent. 2. cos. 119, n. 17.* Dissent. Be-  
nevent. Stracha. *tr. de mercatura in tit. de contract.  
mercat. n. 3.* qui ultra primum annum interesse dene-  
gat. Ulterius Menochius *d. l.* docet rationem ha-  
bendam interesse alterius primi interesse, ob hanc ra-  
tionem, quod decurso primo interesse, illud statim  
effectum sit capitale, quo non restituto causetur no-  
vum interesse, cum creditor careat lucro, quod fecis-  
set, si illud novum capitale sibi solutum fuisset. Hanc  
opinionem etiam defendit Berlich. *part. 2. concl. 38.  
n. 33.* Verum enim vero rectius sentire videtur Carpz.  
*in Jurispr. forens. ad const. Elect. 30. part. 2. defin. 22.* qui  
interesse alterius interesse peti posse negat, propterea  
quod interesse sit accessio *l. 43. §. 1. ff. de legat. 2. l. 9. C.  
fam. ercisc.* accessio vero accessionis nunquam præ-  
standa sit; tum accessio est accidens; Accidens vero  
accidentis non datur, & hæc opinio probatur *ex l. 21.  
§. 3. ff. de act. empt.* Nonnunquam tamen & in diver-  
so casu interesse alterius interesse præstandum, ut  
quando quis pro alio solvit debitum & interesse, &  
hoc postmodum ab eo pro quo solvit repetat, eo ve-  
ro in mora existente, debetur etiam interesse alterius  
interesse jam soluti. Si tamen rectè rem inspicias, hic  
non tam interesse alterius interesse, quam interesse for-  
tis præstatur, respectu enim solventis interesse sors &  
capitale jam factum est. Mevius *p. 4. dec. 154.* Quando  
interesse ipsius interesse peti possit vid. Hond. *1. Consf.  
50, n. 16.*

LXII. Quodnam autem tempus in æstimatione  
iudex spectare debeat, de eo contentio-  
nis terra inter  
dd. trahitur. Quidam quam plurimi res unquam va-  
luit. *l. 8. §. 1. ff. de condict. furt.* alii eo anno quanti plu-  
rimi fuerit, tempus considerandum volunt. *l. 21. ff. ad  
L. Aquil.* communem esse sententiam dicit Loriott,  
*d. tr. ax. 42.* æstimationem eo tempore, quo à petiti-  
one etiam extrajudiciali, usq; ad sententiæ exsequutio-  
nem res unquam plurimi fuit, esse faciendam. Cum  
autem interesse sit in ipsa obligatione, æstimatio ejus  
ad tempus obligationis referenda videtur; ut si fortas-  
sis res, quæ antea 50. valuit, hodie pluris quam 100.  
valeat, rationem tamen hodierni valoris non habebit,  
sed pretium, quo initio venit, duplicabit. Quod tem-  
pus æstimationis in contractu emptionis venditionis,  
in mandato, in evicione, in fidejussione, in *L. Aquil.*  
in furto, observandum, docet Loriott. *d. tr. ax. 50. §. 1. §. 2.  
§. 6.* Aliter hoc explicantem vide Alciat. *d. tr.* Qua-  
ritur an iudex etiam ejus interesse quod minus princi-  
paliter peti solet, rationem habere debeat, ita ut reum  
debeat in id condemnare, etiamsi actor hoc non pe-  
tierit? & videndum hic erit, an damnum propter  
quod interest, ante vel post litem contestatam sit com-  
missum: priori casu iudicis officium ad hoc se se non  
extendit, cum ejusmodi damni interesse actor simul  
potuisset & debuisset petere, silentium autem ejus faci-  
at præsumptionem, se neglecto eo quod interest, prin-  
cipali re fore contentum: Posteriori vero casu id de-  
betur etiamsi non petatur, cum post iudicium acce-  
ptum, tota causa in iudicio versetur, iudicijq; statim  
atq;

atq; iudex factus est, omnium rerum officium incum-  
bat, quæcunq; in iudicio versantur: ea autem quæ ante  
iudicium contingunt, non valde ad eum pertinent, nisi  
fuerint ei nominatim injuncta *l. 25. §. 8. ff. de Edil. edict:*  
*Mynsing. cent. 4. O. 55.* Quæritur porro an iudex male  
judicans, parti teneatur ad interesse? Resp. quod sic,  
iudex enim male iudicando, litem suam facit, & ejus ne-  
gligentia absorbet jus partis, ergo tenetur, ut ut pars ab-  
iniqua sententiâ appellare potest: appellatio enim deserta  
adversæ tantum parti prodest, non iudici, qui propterea  
quod litem suam fecerit, parti ad interesse tenetur. Dan:  
*Moller: l. 4. semestr. c. 15. n. 4.*

LXIII. Cum sæpius in antecessentibus mentio fa-  
cta pœnæ, operæ pretium erit, ultimo loco hic ostende-  
re, quid ea sit, & quomodo id quod interest ab eâ, itidem  
ab usuris, & aliis cognatis differat. Est autem pœna, cer-  
ta quantitas, vel species, si contra quam cautum est, fa-  
ctum sit, promissa *l. 23. ff. de O. & A. l. 12. C. de contr. &  
com: stipul.* quam creditor sæpe stipulari solet, ut, nisi id,  
quod debetur, certo die detur aut fiat, pœna, de qua per  
stipulationem convenit, præstetur.

LXIV. Quæ quantitas inter contrahentes sic conven-  
ta, licet interesse determinet, terminū, tamen non abso-  
lutè ex parte stipulantis præfigit; ita ut stipulans, in cujus  
favorè terminus adjectus, si probare parat⁹ sit, quod plu-  
ris ejus inter sit, admitti deberet *l. 28. ff. de act. empt.* in alte-  
ro tamen casu, ubi non tanti stipulantis interest, quantū  
conventum, debitor tamen præcisè ad conventionem  
implendam, & pœnam solvendam tenetur, atque hoc  
est quod dicitur *in l. 38. §. 17. ff. de V. O.* Pœnam cum

G

stipu-

stipulatur quis, non illud inspicitur quid intersit, sed quæ sit quantitas, quæque conditio stipulationis.

LXV. Est autem pœna vel conventionalis, à partium conventionem pendens; vel legalis, quæ à lege statuitur, ut quæ in vitis propter delictum perpetratum iungitur, & hæc ultra quadruplum non extenditur *§. 21. Inst. de act: §. 5. Inst. de oblig. ex delict:* Pœna vero conventionalis à partium conventionem dependens, quadruplum excedere potest. Unusquisque enim sibi pro commodo stipulantis voluntate sua pœnam imponere potest, & non iniquum videtur, si pluris sua interest, modum pœnarum legitimarum *§. 21. Inst. de act.* excedere; Cum in omnibus quæ non ad publicam læsionem, neque contra bonos mores sunt, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci liceat. *l. 7. §. 14. ff. de pact.* Hæc tamen ita sunt intelligenda, nisi fraus subsit; Non igitur, si pecunia debita, ultra usuras quincunces pœnam stipulari licet, cum quicquid usuram legitimam excedit, in fraudem usurarum adjectum videatur *l. 44. ff. de usur:* & hac pœnâ adjecta, nihil actor probare tenetur, pœnam enim ad probandi difficultatem vitandam adiecit Peretz. *in Cod. ad d. l. un. n. 21. Donell. d. tr. c. ult: Fachin. l. 1. contr. 50.* Ubi varias & dissidentes Dd. sententias notat, insimulque suam sententiam limitat, ut valeat quidem pœnalis ipsa conventio & stipulatio, quantacunque sit pœna, sed tamen iudex moderari & taxare debeat ipsam taxationem, nec pati, ut immoderata exigatur pœna Brunnem: *ad d. l. un. C.* sub distinctione hoc conatur resolvere. Aut pœnâ adiecit contractui habenti certitudinem quantatis, & duplum excedere nequit: Aut adiecit contractui con-

continēti quid incertum, & tunc non potest excedere  
verum interesse. Dissent: Alciat. *d. tr. c. II.* & Molinaus  
*tr. de inextric. labyrinth: de eo quod interest.*

LXVI. Interdum pœna larga significatione accipitur,  
& denotat quicquid ultra rem principalem exigitur, ut  
ita usuram *l. 40. ff. de reb. credit.* & id quod interest com-  
prehendat. *l. ult. ff. de eo quod cert. loc.* proprie tamen in-  
teresse differt à pœna, tanquam indeterminatum à  
terminato: pœna enim statim ab initio vel lege, vel par-  
tium conventionem determinatam accipit naturam *l. 38.*  
*§. 17. ff. d. V. O. §. 21. inst. de act.* interesse vero vagum est;  
ac mutabile, & ab eventu futuro dependet, uti fert na-  
tura eorum quæ facti sunt. *l. ult. ff. de prat. stipul.* nec pœ-  
na propterea exigitur, quia stipulatoris interest, sed quia  
promissa est, remota omni quæstione an intersit *d. l. 38.*


LXVII. Differt quoq; ab eo quod interest, id quanti  
in litem juratum est. *l. 2. ff. de in lit. jur.* in eo, quod hoc  
veram rei æstimationem excedere potest etiam ex affe-  
ctone privata actoris, vel quod in hoc actor etiam utili-  
tatem extra rem æstimet. Itidem 2. fructus, utpote qui  
omnem utilitatem, quam vel ex ipsa re, vel ejus occasio-  
ne percipere possumus, intendunt.

LXIIIX- Usura quandoq; latissimè accepta pro acces-  
sione sortis in quantitate existentis, ex quacunq; causa  
debitæ, comprehendit id quod interest. *l. 2. C. de usur.*  
proprie tamen differunt interesse & usura, nec omnis  
differentia sublata, ut putat. Finckelth. *O. 40. n. 12. 16.*  
Cothman *Vol. 2. R. 52. n. 161.* differunt enim tanquam  
determinatum ab indeterminato. 2. Usura est proprie  
lucrum ex mutuo: interesse vero ex alia qualibet causâ  
lucrum petit, nec propterea quod interesse loco usuræ  
inter-




interdum petitur, inferendum est, ac si nulla horum sit differentia. Quantitas enim usurarum à legislatore ad numerum quinarium redacta, ita ut ultra quincunces usuras petere non liceat; Interesse vero petenti liberum est, an velit summam LL. præscriptam petere, an vero majorem, modo majus probet, de quo in antecedentibus dictum. 3. Usura in propria significatione sumptæ, ultra alterum tantum exigi nequeunt. *l. 26. §. 1. ff. de conduct. indeb. l. 9. ff. d. usur. l. 10. l. 27. §. 1. C. d. t. Dñ. Struv. S. J. C. Ex. 27. th. 52.* Interesse vero excedit alterum tantum. *l. 3. §. 8. ff. de eo quod loc.* 4. Usura respicit solum lacrum creditoris absq; aliqua ejus industria ex pecunia debitori mutuo data: interesse vero lucri cessantis ipsius creditoris respicit emolumentum, quod pervenire poterat ex ipsa pecunia mediante tamen ipsius creditoris operâ & industria. 5. Interesse communiter est in omnibus rebus sive corporalibus sive incorporalibus; præter pecuniam numeratam & species, quæ pondere, numero & mensura constant, in pecunia enim propriè usura, *l. 54. ff. de admin. & peric. tut.* in speciebus, quanti plurimi æstimatio. *l. 22. ff. de reb. credit.* Ideoq; quia multum est discriminis inter usuras & interesse, Advocatos monet, ut in libello potius ad interesse, quam ad usuras concludant. Berlich. 2. *Concl. 38. in fin.* quibus & ego jam concludo. Sicubi vero hallucinatus ero in intricatissima hac materia, pro tua humanitate B. L. ignosces; nemo enim ex antiquioribus & summis viris tam ingeni fuit felicissimi, qui hanc notam evitaverit: & hujus artis ejusmodi est natura, ut in ea quandoq; falli sine vituperio liceat. Quare & mihi quedam concedenda erunt, deq; stricto summoq; jure aliquid indulgendum, & tibi eadem non denegabitur licentia, ut erranti parata sit venia.

SOLI DEO GLORIA.










uerela Testamenti inofficiosi, sed si hæredes  
minima etiam parte, cessante querela Testame  
ciosi, ad supplendum id, quod legitimæ dees  
possunt ex *L. omnimodo 30. pr. C. de Testam. inoffi*  
dum tamen hic erit jus vetus a jure novo: jure v  
tota legitima liberis esset relicta, querela inoffici  
menti non cessabat, de minimo enim eo jure  
Prætor; at jure novo, ut cesset hæc querela,  
quantacunque etiam minima pars hæreditatis  
relicta, sic enim, uti antea dixi, agere potest actio  
toria ad supplementum legitimæ §. 3. *L. de inoffi*  
ibique Vinn. *in Comment. n. 1. Et dres. commun. add*  
*Diff. 9. tb. 38.* Ubi notari meretur statutum Lube  
cautum; ut si quis proximis cognatis 8. solidos  
rios reliquerit, quæ summa certe satis minima  
at Testamentum; v. *jus Lubecens. lib. 1. tit. 9. art.*  
*Comment ad jus Lubecens. L. 2. tit. 1. art. 12. n. 7.*

§. 10. Non tantum autem per querela  
ciosi Testamenti evertitur Testamentum, sed  
rerumpitur per agnationem posthumi, modo  
(1) non monstruosus. *leg. 3. C. De post. hæred. in*  
vividus; ubi tamen non requiritur, ut per longum  
vixerit, sed sufficit si per minimum v. g. mome  
tempus vixerit, adeo, ut si vel spiritum tantum  
lico inter manus obstetricum decedat, ruptum  
intelligatur Testamentum. *Stryk. ad §. 1. I. Qui*  
*stam. infirm. Philipp. us. pract. instit. L. 2. Ecl. 73. n. 9.*

§. 11. Sed quia §. 9. mentionem feci leg  
beris necessario relinquendæ, ulterius hic not  
non sufficere legitimam liberis esse relictam, se  
ut ea relinquatur libera & sine onere, quid enim  
conditione casuali hæres scriptus fuerit? pro



mpitur  
est am.  
iamf.  
St. stat.  
cedat.

ius sub  
lla com.  
e. inst.  
test.